

mus fines Tyri, & Sidonis, non simus per salutem penitentiam Dei irrisores. Nolite errare (inquit apostolus) Deus non irridetur, quæ enim seminat homo hæc & metet, de carne corruptionem, de spiritu vitam æternam. Gal. 6. Memento, quia terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & proferens spinas, & tribulos, reprobata est, & maledictio proxima, cuius consummatio est in combustionem. Heb. 6. Non spernamus patientiam Dei, & multiplicem eius vocationem, ne forte de nobis dictum sit illud Proverb. 1. Vocavi, & reuulisti, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas ne glexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, cum vobis, quod timebatis, ad uenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando irruerit super vos tribulatio, & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane confurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerunt disciplinam, & timorem domini non susceperunt, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerunt vniuersæ correctioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, & consilii sui saturabuntur.

Rem gestam ad idem refert Grego. homil. 12. de quodam Crisorio viro nobili valericæ prouinciæ, quæ potest hic recitari ad finem. Quo contra cum ad huc tempus habemus, de finibus peccatorum exeamus exemplo Chananeæ, quatenus ad cæteras eius virtutes, quibus in euangelio commendatur, fidem humilitatem, patientiam, perseuerantiam probehi mereamur. Præstante domino nostro Iesu Christo cum patre, & ipsissimo in secula benedicto. Amè.

DOMINICA OCULI
Sermo I. in ordine.

XXIX.

OMNE regnum in se diuisum desolabitur. Luc. 11.
Omne, quod est, tandiu mane

re, & subsistere asserit Boe. li. 3. prof. 11. tandiu sit vnum, interire autem, & dissolui, cum vnum esse deserit. Quamuis itaq; in omnibus vnitas commendatur, diuisio culpatur. In humana tamen societate vnitas, & concordia amplius extollitur, & laudatur. Et quidem est societas hominum secundum naturam, quæ facit regnū temporale. Est & societas spiritualis quæ constituit regnū ecclesiæ, quorū vtrūq; non nisi eōcordia, ac vnione saluatur, discordia verò dissipatur. Propter quod vtrūq; regnum ab vno, non pluribus principis caput ortū. Natura enim hominum productio ab vno est principio. f. Adam, de quo Eva. & de vtrisque nascuntur cæteri propagati. Vnde 12. de ciui. Dei. cap. 2. ait beatus Aug. Vt hominum vehementius commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumq; concordie, nec ipsam quidem faminam viro copulandam sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, vno omnino ex homine vno diffunderetur genus humanum. Et cap. 22. ait. Huius rei considerationem hominibus fore profuturam, quod ex vno homine Deus (ad commendandum hominibus, quam ei grata sit etiam in pluribus vnitas) genus instituisse humanum. Ecclesia quoq; cuius Typū mulieris formatio gessit, ab vno Christo domino est edificata. De quo idem Aug. 22. de ci. ca. 17. dicit. quod in exordio generis humani de latere viri dormientis colta detracta femina fieret, Christū, & ecclesiā tali factio iam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, cuius exanime in cruce pendens latus lancea perforatum est, atque inde sanguis, & aqua profluxit, quæ sacramenta esse nouimus, quibus ædificatur ecclesia. Hæc ille. Propter quod apostolus ad Roman. duodecimo ait. Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Primum regnum ligat vnitas naturæ. Secundum vnitas fidei. Vtrumque nutrit concordia voluntatum.

Deuallat autem, & soluit diuisio quantum ad eos, qui ab vnitate se

H sepa

Quicqd
ab vnitate
separatur
si
biliter
non potest.